



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

50. Cum occasione &c. Literæ in Forma Brevis, quibus R.P.D. Camillo Cybo  
Patriarchæ Constantinopolitano, Sac. Palatii Apostolici Præfecto, ejusque  
Successoribus Jurisdictio Civilis, Criminalis, & ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ventu; ordinationes circa chorum & allocutorium Monialium, earumque Clausuram; designationes cellarum, aliaque similia; sed in his omnibus procedatur ab iis, ad quos pertinet, juxta sacros canones, statuta singulorum Ordinum, & Apostolicas constitutiones.

XXXI.  
De Præfidi-  
bus Capitu-  
lorum, &  
superioribus  
arque offi-  
cialibus in  
monasteriis.

Caveat similiter, ne deputet Præfides Capitulum, Superiores vel Abbatissas, Vicarios vel Vicarias, vel qualescumque Officiales in Monasteriis vel domibus regularibus utriusque sexus ex quocumque titulo vel colore, sive inconvenientium, sive dissidiorum, sive discrepantiæ suffragiorum, etiam per viam actuum provisionalium; sed omnino libera remaneant, juxta sacrorum canonum præscriptum, & ipsorum Ordinum regularium statuta electiones & deputationes omnium Prælatorum & Officiorum.

XXXII.  
De Magi-  
stris, Præ-  
fectoribus, &  
Rectoribus  
Studiorum.

Itidem nequeat, etiam per modum provisionis, deputate Magistros, Lectores, Rectores Studiorum, neque in possessione munerum, vel officiorum confirmare eos, qui, finito tempore, à constitutionibus suorum Ordinum præscripto, debent illa dimittere, vel qui remoti à legitimis Superioribus fuerint. In causis autem inter Regulares, verè contentiosis, & in quibus esse potest de jure locus appellationi, expleto cursu judicii in unoquoque Ordine Regulari, à suis constitutionibus præfinito, si succumbentes profectui intendant; tunc causæ ad prædictum Judicem Ecclesiasticum devolvantur, qui procedere teneatur, servatis in omnibus & per omnia iis, quæ supra, quoad alias causas statuta sunt; ita tamen, ut in causis nullitatis professionis tam ante, quam post lapsum quinquennii, nullo modo se interponat; sed illæ ad normam omnino sacrorum canonum & sacri Concilii Tridentini Sessione XXV. de Regularibus Cap. XXIX. cognoscantur & terminentur.

XXXIII.  
De usu ju-  
risdictionis,  
Episcopis à  
Concilio  
Tridentino  
concessis.

Ad hæc Delegatus non impediatur usum jurisdictionis, à Sacro Concilio Tridentino Episcopis, uti Sedis Apostolicæ Delegatis, in exemptis sæculares Clericos attributæ; facultatem tamen habet idem Judex Ecclesiasticus procedendi etiam in prima instantia in eorundem Clericorum sæcularium exemptorum causis, tam civilibus, quam criminalibus, easdemque, juris ordine servato, cognoscendi ac judicandi; Et in casu appellationis à decretis vel sententiis ejusdem Judicis delegati, in manibus ea servantur, quæ supra hac de re statuta sunt.

XXXIV.  
De gravi-  
oribus Epi-  
scoporum  
causis.

Quoad graves Episcoporum & Archiepiscoporum causas, servetur omnino dispositio sacrarum Constitutionum, & sacri Concilii Tridentini Sessione XXIV. Cap. V. de Reformatione. In aliis verò minoribus & civilibus causis, in quibus Episcopi aut Archiepiscopi Regni Siciliae ultra Phærum, non actores, sed rei sunt, Delegatus jus habet judicandi etiam in prima instantia, si causa sit Archiepiscopi vel Episcopi, exempti à jurisdictione Metropolitana (& signanter quoad omnes in causis solutionis pensionum;) & in secunda tantum instantia, si causa sit Episcopi, juri Metropolitanico subiecti. Tunc enim in prima instantia causa ab Archiepiscopo erit judicanda. In casu autem appellationis à judicio Delegati, servantur omnia in superioribus disposita.

XXXV.  
De officio  
judicis Ec-  
clesiastici er-  
ga mandata  
Apostolica.

Denique, ut Nos, nostrique Successores Romani Pontifices, diligenter curabimus, ut supra disposita ac statuta ad amissum servantur, quæ vim, & effectum habere Concordiæ statuimus & decernimus: nec quidquam à nostris Ministris sub quovis prætextu vel colore peragatur, quod eorundem observantiam & executionem retardare vel impedire possit; ita dictus Judex Ecclesiasticus nullas sibiumat partes, etiam per modum pro-

visionis, vel sub alio quovis prætextu, contra ordinationes & mandata, quæ vel nostra, vel nostrorum pro tempore Successorum propria manu per speciale rescriptum signata & subscripta erunt: nec eorum executionem, quantum in ipsomet sit, audeat impedire vel retardare; sed eisdem debita reverentia, observantia & executio omnino præstetur.

Decernentes, omnia & singula, in superioribus expressa per nullum Patriarcham, Archiepiscopum, Episcopum, aliasque personas, quacumque alia auctoritate, dignitate, & præminetia fulgentes, impugnari unquam posse, aut debere, præsentisque semper & perpetuo validas & efficaces esse & fore, suosque plenarios & integros effectus fortiri & obtinere debere, atque ab omnibus & singulis, ad quos spectat, sive spectabit, firmiter & inviolabiliter observandas esse, nulloque unquam tempore notari, retractari, invalidari, inque jus, vel controversiam vocari posse; ipsasque præsentis sub quibusvis gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos ipsos & Successores nostros Romanos Pontifices factis & faciendis, concessis & concedendis, minimè comprehendere; sed statim, easdem has litteras, tanquam ad Ecclesiarum Siciliae tranquillitatem & pacem à nobis editas, semper omnino excipiendas: & quidquid secus super his, ut præfertur, per nos approbatis, à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum & inane decernimus, non obstantibus consuetudinibus, privilegiis & indultis, quomodocumque in contrarium præmissorum alias concessis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, concordiæ & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, millesimo septingentesimo vicesimo octavo, tertio Kalendas Septembris, Pontificatus nostri, anno quinto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdarius.

Visa

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Franciscinus R. C. A. Secretarius.

Litteræ in Forma Brevis, quibus R. P. D. Camillo Cybo Patriarchæ Constantinopolitano, Sac. Palatii Apostolici Præfecto, ejusque Successoribus Jurisdictioni Civilis, Criminalis, & mixta conceditur cum diversis facultatibus.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad futuram rei memoriam.

Cum occasione Constitutionis sel. rec. Innocentii PP. XII. Prædecessoris nostri, quæ incipit: *Romanus Pontifex XV. Kalendas Octobris MDCXCII.* edita, per quam idem Innocentius Prædecessor particularia Tribunalia, & speciales Judices vigore privilegiorum à Romanis Pontificibus

Clausula.

Nemo has litteras infringere audeat.

L

Constitutio  
Innoc. XII.  
quæ incipit:  
*Romanus  
Pontifex XV.  
Kal. Octob.  
suppreffit  
Tribunalia  
particularia  
ex Privile-*

Præde-

gii Romani Pontificum Constituta, ea que ad jus commune redacti. Inde obortæ controversiæ de Jurisdictione Sac. Palat. Apost. Præfetti, non obstantibus Canonum, Legumque Civilium dispositio, nec omnium ferè gentium mores, & consuetudo, ac eisdem jurisdictionis exercitium ipsi Præfetto Palatii Apostolici quicquam de cætero adversus memoratam Constitutionem suffragari possent: Contra verò crebræ ad Nos querimonie delatæ fuissent, à recto ordine, & ratione planè alienum esse, causas interesse ejusdem Palatii concernentes alibi, quàm coram ipsius Palatii Præfetto agitari, Familiaresque nostros ad quælibet Almæ Urbis Tribunalia non sine obsequi, quòd Nobis, & Palatio prædicto impendunt, detrimento distrahi. Hinc est, quòd Nos ejusmodi lites, & controversias, quæ promptam justitiæ administrationem impediunt, aliaque multiplicia incommoda, ac turbas adferunt, dirimere, simulque omnem de cætero dubitandi in præmissis occasione penitus tollere cupientes; atque non minus ad Romani Pontificis pro tempore existentis decus, & dignitatem, quam ad ipsius Palatii Apostolici providum regimen, & utilitatem, ac dictorum Familiarium commoditatem, nostræ dirigentes considerationis intuitum, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ad id à Nobis noscitur deputatorum, qui rem ipsam maturè, ac diù discussurunt, consilio, Venerabili Fratri Camillo Patriarchæ Constantinopolitano moderno, ac pro tempore existenti ejusdem Palatii Apostolici Præfetto (firmâ in reliquis remanente enarratâ Innocentii Prædecessoris Constitutione) in quibusvis Causis interesse ipsius Palatii Apostolici quomodolibet concernentibus civilibus, criminalibus, & mixtis, omnimodam, & privativam; ac quoad delinquentes in Palatio Apostolico, ubi Romani Pontifices pro tempore resident, seu eorum residentiæ deputato, vel deputando, & delicta inibi perpetrata, prout quoque quoad delicta etiam extra Palatium hujusmodi, ubicumque inter nostros, & ejusdem Pontificis Familiares commissa, plenariam, & privativam itidem; in delictis autem, quæ extra dictum Palatium inter Familiarem, & non Familiarem admilla fuerint, si Reus fuerit Familiaris, similiter privativam, sin minus, cumulativam cum aliis Judicibus cateroquin competentibus; quòd verò ad Causas Civiles attinet, ubi dumtaxat Familiaris sit reus, & executivè tantùm procedatur, privativam quoque Jurisdictionem cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, Auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, & indulgemus: Et si agatur actione reali adversus Familiarem ejusmodi, tunc eidem Præfetto Palatii sola competat facultas concedendi licentiam exequendi sententias, mandata, vel decreta, vulgò *Exequatur*, quæ absque reassumptione cognitionis meritorum Causæ præstetur, quòd & cum Artificibus, aliisque Patentibus ejusdem Palatii Apostolici munitis ex veteri more, & æqua honestate servatur. Declarantes, quòd nomine Familiarium non veniant nisi in Albo, seu Tabella dicti Palatii, & ut vulgò dicitur *Rollo* descripti, quòdque memorata Jurisdictione in omnibus casibus præmissis concessa sit, & esse, ac competere intelligatur, sive Delinquentes, & Familiares, aut alia personæ hujusmodi Ecclesiasticæ, ac etiam in Ecclesiastica Dignitate constitutæ, sive Sæculares fuerint. Porrò eidem Camillo Patriarchæ, ac pro tempore existentis Palatii Apostolici Præfetto, ut

Privativè Civiliter, & Criminaliter procedendi in Causis interesse ejusdem Palatii tanq. Privativè quoad Delinquentes in eodem Palatio. Privativè in delictis extra idem Palatium commissis inter Familiares. Item privativè in delictis inter Familiarem, & non Familiarem, si Familiaris Reus sit, alia cumulativè. Privativè procedendi in Casibus Civilibus Familiarium, ubi executivè agatur. In Actionibus verò realibus contra Familiares ad executionem non procedatur, nisi de licentia ejusdem Præfetti, prout, & quoad Artifices, & Patentos observatur. Qui ad effectum præsentium pro Familiaribus habendi sint. Præservetur Præfetto Sacri Palatii Apostolici ab Irregularitate.

muneris hujusmodi, ac præmissorum ratione, & occasione, in negociis, & Causis criminalibus quibuscumque, quoties opus fuerit, & immisce-re, & in eis consilium, mandata, & jussiones tam verbo, quàm in scriptis dare, ac debitæ executioni demandare, seu demandari facere, etiam si sanguinis effusio, membrorumque mutilatio, seu etiam mors inde sequatur, liberè, & licitè, ac absque alicujus pœnæ, vel Censuræ Ecclesiasticæ incurfu possit, & valeat, dummodò tamen à sententia in Causa sanguinis per seipsum ferenda omninò absteineat. Auctoritate, & tenore præfatis facultatem concedimus, & impertimur. Decernentes ipsas præsentis litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quòd quilibet in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec causæ, propter quas eadem præsentis emanarint, sufficienter adductæ, verificatæ, & justificatæ fuerint, vel ex alia quacumque, quantumvis legitima, pia, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimæ, & totalis læsionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet, quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu proprio concessio, vel emanato, quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed easdem præsentis litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulâ de jure quæsito non tollendo, & quoad ea, quæ præsentibus adversantur, præfata Innocentii Prædecessoris, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quâvis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, ac aliâ in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ exprimerentur, & infererentur, præsentibus

Admittitur facultas has Litteras quomodolibet impugnandi.

Item Facultas aliter judicandi.

Clausulæ derogatorias.

pro

pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXIV. Septembris M DCC XXVIII. Pontificatus nostri, anno V.

F. Cardinalis Oliverius.

L.I.

Sanctissimi D. N. D. BENEDICTI PAPÆ XIII. Declarationes super quibusdam Dubiis, circa intelligentiam contentorum in Constitutione *Preiosus* excitatis, emanatæ. Foris. Sanctissimo D. N. D. BENEDICTO PAPÆ XIII. pro Magistro, ac Procuratore Generalibus Ordinis Prædicatorum. Intus verò, Beatissimè Pater.

*Beatissime Pater.*

**M**agister, ac Procurator Generales Ordinis Prædicatorum, provoluti pedibus S. V. humillimè eidem exponunt, exorta hactenus fuisse plura Dubia circa intelligentiam Constitutionis *Preiosus* - super quibus maximè Ordo ipse vexatur. Quoniam verò Divinæ placet Providentiæ, ad Ecclesiæ, ejusdemque Ordinis firmamentum, Beatitudinem Vestram in vivis, juxta fervida Oratorum, ac Ordinis vota, conservare, ea propter supplices exorant, quatenus dignetur Sanctitas Vestra ore proprio Apostolicam circa eadem Dubia mentem aperire. Dubia verò selectiora, ac graviora hæc sunt.

Primò. An stantibus omnimoda subjectione, ac dependentia à Superioribus, aut Delegatis Ordinis, præscripta à S. Vestra Confratribus, aut Congregatis quarumcumque Societatum, pro tempore in Ecclesiis, Oratoriis, aut Clausuris Ordinis prædicti, erectarum, vel etiam convenientium pro opere pio, aut devotione aliqua exercenda: necnon omnimoda pertinentia ad Ecclesias, & Conventus Ordinis ipsius, bonorum quorumcumque prædictarum Societatum; harum Confratres, sive Congregati, etiam illi, qui aliàs peculiare Oratorium, ac Societatem aliam ab Ordine independentes habeant, in eligendis, removendis, mutandis Officialibus, in Processionibus, custodia, usu, administratione quarumlibet rerum, atque in omnibus, & singulis aliis, quæ quomodocumque pertineant ad Societates ipsas, fundatas, vel quatenus convenientes, ut suprà, ad Ecclesias, Oratoria, aut Clausura, prædictam subjectionem, & dependentiam, sub penis in Constitutione taxatis, habere - Mobilia verò, & signanter Sacræ Imagines, & suppellectilia, eorumque, sicut & cujuslibet Altaris, Oratorii, Sacramentarii, ac Ecclesiæ, claves, penes Fratres residere: hisque Confratres, & Congregati prædicti, tamquam veri, & simplices bonorum Ordinis Ministri, & Administratores, in majus Dei servitium à Fratribus ipsis assumpti, & data saltem occasione, amovibiles, *privativè* quoad Ordinarios quoscumque locorum, rationem administrationis cujuscumque generis bonorum, toties quoties requisiti fuerint, reddere: necnon *privativè* quoque quoad Ordinarios prædictos, Superiores tamquam verè propria, ac pleno jure, non ad Confraternitates quasvis Laicorum, sed ad Ordinem pertinentia, non solum Oratoria, aut Ecclesias, quæ ante Ordinis ingressum ad Societates illas spectabant, ac Ordini postmodum per unionem perpetuò accesserunt, sed etiam Oratoria, Capellas, Altaria Societatum quarumvis, in Ecclesia Parochiali Ordini perpetuò unita, vel unienda, erectarum, necnon Societatum Sanctissimi Nominis

Jesu, Rosarii, aliarumque ad Ordinem spectantium, usibus quocumque extra Ecclesias, aut Clausura Ordinis destinata, vel destinanda, quamvis ipsarum Societatum, aut Confratrum expensis fabricata, vel fabricanda: eorumque suppellectilia, & ornamenta quæcumque, in omnibus, & per omnia ad instar bonorum, suppellectilium, ac ornamentorum Societatum per solos Fratres ipsos dumtaxat in omnibus, & per omnia, administratarum, sive aliàs pleno jure, & dominio ad Ordinem ipsum pertinentium, visitare, tanquam verè dispositioni Concilii Tridentini *Seff. XXII. Cap. VIII. & IX.* pluribusque Congregationum Episcop. & Regul. ac Concilii, Decretis, non subiecta, debeant, ac teneantur?

II. An spectatà immediatà soli Summo Pontifici, ac Romanæ Ecclesiæ, Ordinis, ac omnium, & singulorum ad ipsum spectantium, Subjectione, cum amplissima exemptione prædictorum omnium à jurisdictione cujuscumque alterius, à Sanctitate Vestra in confirmatione, ac innovatione Constitutionum Prædecessorum suorum validissimè firmata, & si opus sit, restituta, Ordinarii quicumque locorum, Capellas, Oratoria, aut Altaria quæcumque, etiam in Grangis Ordinis erecta, aut in Ecclesiis Parochialibus Ordini perpetuò unitis, vel uniendis, saltem cum clausula - *Salvis Juribus Episcopalis* - præter Altare Parochiæ, ac cætera, animarum curam, & administrationem Sacramentorum, ad tramites Concilii Tridentini *Seff. XXV. Cap. XI.* spectantia, alia Altaria, aut Ecclesias ipsas: aut ornamenta, suppellectilia, & mobilia Altaris, cui sit adnexum Beneficium aliquod Sæculare, à Fratribus prædictis posita, posita verò à Beneficiario, non assistente Superiore locali Ordinis, visitare - Prælati verò inferiores, Parochi, Capitula, aliive Clerici Sæculares in Ecclesiis, Oratoriis, Clausuris, Capellis quibuscumque Ordinis, hucusque dictis, Officium Parochiale exercere: conciones, aut sermones habere: Sacramenta administrare, vel infirmis ministrandà accipere; Cadavera sepelire, vel, non determinatà cum Fratribus congruà delationis horâ, portare: Missas cantare, vel, liberè, non annuentibus Fratribus ipsis, celebrare: Exequias quaslibet, exclusis Fratribus, vel, iisdem admissis, solemnes cum thurificatione, aut aspersione aquæ benedictæ, aut aliter, quam à Sanctitate Vestra permissum est in prædicta Constitutione - §. 74. sive non liberè, ultra unum dumtaxat Parochum, à Defuncto ante mortem, vel post mortem ab hæredibus, electi, aut vocati; ac aliam quamcumque functionem peragere possint, & valeant?

III. An circa approbationem Fratrum, prævio examine, ad Confessiones Sæcularium audiendas Episcopi teneantur juxta sancita à sa. me. Clemente X. in Bulla - *Superna* - Fratres generaliter repertos idoneos generaliter quoque, & sine limitatione temporum, locorum, aut personarum approbare: ac saltem Fratres graduatos, sive ætate maturos in primo examine simpliciter, ac generaliter eodem modo approbare, vel reprobare, quòd aliàs à Congregatione Concilii decretum universaliter refertur; Subindeque non obstante aliàs consuetà in Patentibus Literis, ad eas pro arbitrio Episcoporum renovandas, temporis præfixione, semel sic approbatos, nisi gravis superveniat causa, confessiones ipsas spectans, à Confessionibus suscipiendis arceri, aut suspendi non possint?

IV. An, ut firma, & illibata permaneant quæ post Triden. *Seff. V. Cap. II.* S. Pium V. & Clementem X. Prædicatoribus Ordinis Sanctitas Vestra concessa voluit, Fratres pro habendis Concionibus Quadragesimalibus, aut Annualibus, in Ecclesiis, aut Oratoriis ejusdem ipsorum Ordinis, solummodo, & quidem ad terminos Constitutionis prædictæ laudati Clementis X. Benedictionem ab Episcopo petere, Licentiam verò, ac Litteras Patentis, nec non pro singularibus concionibus morali-

bus,